

tia, qui a robore dictus est ferreus, immissum aliquando in eum fuisse leonem astu Anglorum in palatio Eduardi III. Angliæ regis. Verum Henricus obviantem sibi in gradibus cum rugitu leonem, sola hac voce: *Quiesce canis ferox*, terruit. Prostratum enim mox leonem manu apprehendit, et in caveam suam duxit. Alia vice, Lutetia leonem e claustris elapsam, sibi que a tergo adherentem torvo tantum aspectu terruit, uti is ad pedes procubuerit instar blandientis et veniam petentis, Maiol. tom. IV. canic. coll. I. Hunc igitur in modum et nos si opera, quamvis difficilia, fortiter aggrediamur, feliciter peragemus. Palmæ fervidas amant regiones: ita vitiorum victoria fervidos postulant homines. Flumine adverso in cælum navigamus: magnus ergo conatus et fervoris impetus nobis necessarius est, ut vincamus fluminis impetum. Unde v. Beda, in c. III. Lucæ ait: *Nisi mentis contentio ferveat, unda mundi non vincitur, per quam anima semper ad ima revocatur.* Sane D. Bern. serm. I. in f. S. Andreae primos parentes idcirco tam facile lapsos censet, quod in fide et voluntate servandi legem Dei tepidi fuerint, quasi molestum foret eis divinum mandatum; uti indicant Evæ verba: « Ex omni ligno paradisi comedimus, de ligno autem scientiæ boni et mali dixit nobis ne comedamus. Non dicit: Sic est voluntas creatoris; quare sic, ipse novit: nobis sufficit obedire, quia vita nostra in voluntate ejus. Similiter Adami bona voluntas non habuit fortitudinem, quia non habuit fervorem. » Ita Bern.

VI. Ad extremum, ut fiant modis prædictis, medium efficax ad hoc est, si fiant quasi in conspectu Dei. Seneca virtutis studioso simile quid consuluit: *Sic fac*, inquit, *tamquam sub alicujus boni viri ac semper præsentis oculis*, ep. XXV. Quod si præsentiam boni viri satis efficacem existimavit hic philosophus ad incedendum semper in virtutis tramite, quanto efficacior ad hoc erit memoria præsentis Dei? Hoc voluit S. Joannes, cum Apoc. IV. describens sancta animalia stantia ante thronum Dei, dixit ea fuisse plena oculis ante et retro, foris et intus. Significavit enim eos, qui volunt Deo debite servire, et ante ejus thronum stare, debere esse oculatissimos et circumspicissimos in omnibus suis operibus, ne quid tanta majestate indignum committant, loquendo, videndo, audiendo, cogitando, appetendo, etc. Videmus certe eos, qui coram rege vel principe assistunt, vultum, os, incessum, gestusque omnes componere ad gratiam principis, ne quid in ipsis deprehendatur, quod oculis ejus displiceat. Meminit Pierius, lib. II. hierogl. cap. II. elephantem quemdam, cæteris indociorem ad saltandum Romæ

extitisse, ideoque a magistro sæpius castigatum, seipsum noctu ad lunam exercuisse in saltatione donec artem perdisceret. Fecit hoc brutum animal. Exerceat ergo et homo semetipsum in conspectu Dei ad bene operandum, juxta id apostoli, I. Tim. IV. *Exerce teipsum ad pietatem*, cogitet se a Deo undique semper aspici et circumspici. Ita monuit S. Joannes, epist. I. cap. III. *In conspectu ejus suadebimus* (id est, probabimus, ut exponit ibi Corn. a Lap.) *corda nostra*: ita faciebat inter alios S. Xaverius, qui dicebat: *Ubi cumque fuero, meminero me in orbis theatro et in oculis Dei versari*: ita S. Cypr. de zelo in fin. « Cogita inquit, sub oculis Dei nos stare ac judicante ipso conversationis ac vitæ nostræ curricula decurrere, pervenire nos tunc demum posse, ut eum videre contingat, si ipsum nunc videntem delectemur actibus nostris, si nos dignos gratia ejus et indulgentia præbeamus, si placituri semper in regno in hoc mundo ante placeamus. »

Hæ igitur sunt alæ, quibus opera nostra ad cælum evolare debent. Discamus ergo a Christo Domino nostro ex hodierno evangelio ea quæ facimus, bene facere, ne frustra nos laborasse aliquando doleamus, et qui æternitati pingere debebamus, tempori, vanitati, morti et æternæ oblivioni pingamus.

## CONCIO VI.

SEPTEM MUNDI BONA.

I. Varietas rerum, quæ in mundo sunt. — II. Universitas seu plenitudo. — III. Ordo et dispositio. — IV. Connexio partium inter se. — V. Proportio rerum inter se et cum mundo. — VI. Sympathia et antipathia. — VII. Optima mundi administratio.

THEMA.

*Bene omnia fecit.* Marci VII.

Plinius, in præfatione operis sui tradit, veteres pingendi fingendique nobilissimos artifices, opera sua etsi absolutissima illa et quæ posteri mirando nunquam satiantur, pendenti titulo sic inscripserunt: *Apelles faciebat*, vel: *Polycletus faciebat*, non autem: *Fecit*, ea re insinuantes, opera esse inchoata nec omnino perfecta: et quod in eis desiderari posset, se quidem emendaturos fuisse, nisi morte essent intercepti; tria tantum reperta esse absolute inscripta: *Ille fecit*, tamquam in illis summa artis securitas artificii placuerit, quæ tamen omnia magnæ hominum invidiæ fuerunt obnoxia. Nec vero immerito, non enim hominum sed Dei, facere omnia omnibus numeris perfecta,

quibus nemo quidquam possit addere vel demere: ejusmodi opus est hæc mundi machina, adeo absoluta, uti Moyses securissime potuerit ei adscribere: *Fecit: vidit enim Deus*, inquit, *omnia quæ fecerat, et erant valde bona*: tamquam opus illud judicio ipsius opificis Dei sit comprobatum: et Eccl. c. I. *Cuncta fecit Deus bona in tempore suo nec possumus eis quidquam addere vel detrudere.* Itaque quod in hodierno evangelio populus de patrato Christi miraculo dixit, id nos quoque de ipsa mundi fabrica meritissimo jure diximus: *Bene omnia fecit.* Quare ut hanc opificem ejusque bonitatem, potentiam, sapientiam et providentiam admirari et laudare possimus, contemplantur ejus opus.

I. Mira et pulcherrima est mundi machina, ob septem potissimum ejus bona. Quorum primum est varietas rerum, quæ in mundo continentur. Alie enim sunt incorporeæ, alie corporeæ; alie partim incorporeæ, partim corporeæ. Incorporeæ sunt angeli, et hi dividuntur primo, in tres hierarchias, deinde, quælibet hierarchia in tres choros. Corporearum alie sunt incorruptibiles ut cæli et sidera; alie corruptibiles eaque duplices, inanimatæ et animatæ. Inanimatæ alie simplices ut elementa, alie compositæ ut lapides, metalla et similia, horumque species innumeræ alie. Animatæ sensitivæ ut animalia, alie sine sensu ut plantæ. Utrarumque species innumeræ. Denique, alie partim corporeæ, partim incorporeæ, ut homines. Jam vero in hominibus quanta varietas in forma et vultu, in ingressu, voce, ingenio, lingua, studiis, moribus, legibus, institutis, religionibus? In brutis quanta rursus diversitas qualitatum non solum in diversis speciebus, sed etiam in eadem? Papiliones vilissimi sunt vermes, et quanta in his solis varietas? Alii sunt albi, alii flavi, alii cærulei, alii oculati, alii aliorum colorum, ut vel in minimis animalculis appareat summum artificium Dei. Quanta item in florum coloribus, odoribus, forma, figura, virtute, foliis? Causa vero tantæ varietatis est ornatus mundi, et ut singulæ rerum species a se mutuo discerni possint. Speciatim vero maxima varietas cernitur in coloribus domesticorum animalium ejusdem speciei; referebat enim ut vicinus quisque suos equos, boves, canes, feles, sues, gallinas, columbas, anseres, anates, etc. ab alienis dignosceret ad pacem et sua conservanda.

II. Est universitas seu plenitudo. In mundo enim sunt omnia tripliciter. Primo, secundum gradus genericos rerum, qui sunt quatuor: esse, vivere, sentire, intelligere. Secundo, secundum horum graduum genera omnia et species subalternas; uti, v. g. intelligentium alii sunt angeli,

alii homines: sentientium, alia quadrupedia, alia volatilia, alia natatilia, alia reptilia, etc. Tertio, quod nihil usquam sit a Deo factum, quod in mundo non confineatur. Addi potest quarto, quod omnia sunt in mundo, quæ ad ejus gubernationem et cujuscumque rei conservationem pertinent et naturam, ita ut nihil in mundo redundet, nihil desit. Quid in primis addi supra quatuor elementa posset? Et quo eorum carere possemus? Membris deinde humanis, si vel unum adjicias, v. g. digitum manui aut pedi, oculum capiti, non solum erit superfluum, sed etiam deforme et impedimento. Vicissim si vel unum tollas, illico impeditum te et inhabilem ad multa deprehendes. Quæ ars, quod opificium est, cui commode exercendo non sufficiant membra hominis? Cui instrumento musico non sufficiant, et aptæ sint os, pedes, manus, digiti?

III. Ordo et aptissima pulcherrimaque rerum omnium dispositio, nobiliores enim summum tenent mundi locum, mediæ medium, ignobiles infimum, eaque per superiores aguntur, servantur et leguntur. Sol et luminaria debebant esse supra nos, ad illuminandum æter circa nos ad spirandum, movendum, et species rerum sensibilibus percipiendas: terra ad sustentandum, et aqua ad navigandum infra nos. Inter ipsa luminaria sol positus est in medio, ad illuminandum tam ea, quæ supra ipsum sunt astra, quam ea, quæ sunt infra ipsum, qui etiam motum inæqualem habet, modo accedit, modo recedit, ut sic totam terram visitet, et suo calore ac lumine foveat. Maria ibi potissimum posita, ubi incommodum est habitare, sive propter æstus sub æquatore, sive ob excessum frigoris, circa polos. Temperatæ regiones in sicco positæ. Regiones, ita dispositæ, ut quælibet haberent hinc suas aquas, fluvios, rivos, fontes, puteos, silvas adherentes illinc arva et prata, montes et valles, etc. Idem quoque in humanis membris et cujuscumque creaturæ videre est. Oculus tamquam speculator in capite positus: qui si in brachio vel pede foret, non solum deformatum sed etiam inutilem foret, cæteri sensus velut in arce compositi, et ad suas stationes apte distributi. Ordo item temporum pulcherrime dispositus est, ad frugum modo harum, modo illarum varietatem progignendam. Ver floribus, æstas messibus, autumnus vindemiæ, hiems olivationi deputata, ut singulis collecturis vacari queat. Rursum ne sola hiems glacie terram ureret, aut sola æstas ardore torreret, autumnus et veris medium insertum est temperamentum. Ad hæc noctis et diei vicissitudo facta, non solum propter alternam viventium requiem, sed etiam propter victum, quo nimirum



et feræ quærent sibi de nocte cibum ad necessaria; et homines atque cicuria animalia de die, absque timore et insidiis illarum.

Denique, per superiora aguntur, conservantur et reguntur inferiora. Cælorum influxus agit in sublunaria, et cogit aerem ad varias tempestates et ventos: aer nubes vehit ad terræ irrigationem et navium promotionem, atque ita maria et laeus gubernat: aqua terram sulcat, dividit, conservat, irrigat.

IV. Connexio partium inter se mira et artificiosa. Primo, secundum quantitatem, ut nihil sit uspiam vacuum. Hoc enim tam fœdum esset, quam est domus pulchra, vacuas tamen et suppellectile carentes cameras habens, vel scalis destituta, per quas de una contignatione ad alias eatur. Propterea igitur gravia potius ascendunt, levia descendunt, quam vacuum dari sinant. Sic etiam in singulis corporibus unaquæque pars aliis vicinis aptissime et amicissime adstricta et devincta est.

Deinde, secundum specierum naturalium conservationem, ut nulla sit interruptio. Aliæ enim ex se generant sibi similes, et ad hoc inditam sibi habent cupidinem, ut animalia; aliæ gignunt et relinquunt post se semen, unde species collapsæ reparantur, ut plantæ: aliæ in alias transmutantur, ut inaminata, et hoc fere annuatim. Omni enim anno, qui est solis revolutio, redit quasi novus mundus, qui post corruptionem rerum quæ esse desinunt, reparatur generatione et successione earum, quæ esse incipiunt: atque ita conservatur mundus, et fit quasi immortalis, quantumvis habitetur a rebus mortalibus. Videmus itaque omni anno nova in terris animalia, novos in mari pisces, novas in aere volucres: simul et cum animalibus quotannis novum producit pabulum, quo alantur, et illa et nos omnes. Quæ generationum series nec deficit, nec deficit unquam ante consummationem sæculi.

V. Est proportio rerum omnium tum inter se, tum cum mundo ipso, qualis est concinna et decens membrorum humani corporis compositio. Itaque cælo dedit Deus mensuram amplissimam, quoniam omnia inferiora ambitu suo complecti debet: aeri longe minorem, majorem tamen quam aquæ et terræ, quia utramque continere debet. Solem multis partibus terra fecit majorem, ut totum illuminare mundum et calore suo fœcundare posset: lunam stellarum minimam, quia terræ vicinissima est. Elephantis et similibus bestiis, quia onera maxima, et ipsas turres hominibus refertas portare debent, magnam corporis molem dedit: equis

paulo minorem, quia ad unum tantum equitem ferendum facti sunt. Aviculas parvas fecit, ut in ramis arborum et foraminibus, sedere et nidificare possent, apes et formicas minutissimas, ut in foraminibus terræ vel alveariorum habitare. Rursum cælos voluit esse plures et diversorum motuum, ut varia siderum conjunctio varias causaret in anno tempestates: solem unum, quia illustrando uni hemisphærio unus sufficiebat: lunam quoque unam quia ad noctis tenebras moderandas una sufficiebat: stellas alias plurimas, ut in absentia lunæ, nocti aliquæ præberent lumen. Ad hæc debito etiam numero cætera creata, ne aliquorum excessus aut defectus mundo interitum afferret; inde noxia animalia pauciora sunt, et minus fœcunda. Leæna primo, fœtu parit quinque catulos, deinde per annos singulos uno pauciores: ab uno sterilecit: aquila non excludit plura tribus ovis, nec pullos alit plures duobus: lupi cum laborant inedia, seipsos conficiunt: scorpio concipit undecim fœtus, et cum peperit, vorat decem, uno solo retento ad speciei conservationem, qui postea vindictam veluti sumens de nece fratrum, occidit et devorat matrem: vipera in conceptu occidit matrem, in partu occiditur a fœtibus uterum ejus perrumpentibus. E contra minuta et innoxia animalia magno numero sunt, ut essent cibus majorum. Utilia etiam magnæ fœcunditatis sunt, ut lepus, ovis, gallina, columba, sus, etc.

Eadem proportio apparet in partibus singularum rerum in ordine ad fines earum. Aves capite minuto et in rostrum acuminato sunt ad aerem facile findendum; pedibus aduncis ad ramusculos arborum quibus insideant complectendos; plumis aversis, ne obsint volatui, et quæ inter volandum ita corpori applicantur ut aer non subintret. Alæ levissimæ et ita conformatæ ut facillime explicari ad volatum et rursus contrahi possint molli cavitate idoneæ ad aerem in motu colligendum, et in quiete ad corpus decore arteque tegendum. Quæ carnivoræ, rostro sunt valido et adunco ad discernendum; unguibus firmis et acutis ad apprehendendum; oculis perspicacibus ad longe videndum; multarum pennarum, paucæ carnis, ad volatum accelerandum. Quæ ex aquis pactum habent, collo oblongo, ut in profundum possint caput immergere: pedibus item longis, ut insistere paludibus queant. Quæ vero aquis innatant, pedes habent latos, quibus velut remisse propellant, et quodammodo navigent. Quadrupedum alia est formatio, quia per terram ambulat. Quæ carnivora sunt et ex præda vivunt, his membra ad capturam accom-

modata: in rictu superne et inferne dentes gemini, longi, validi ad tenendum et discernendum; ungues acuti et falcati ad apprehendendum, quos incedendo condunt in vaginas, ne atterantur: ad capturam exerunt instar digitorum et prædæ injiciunt. Quæ herbis, frondibus, fructibus vescuntur, aliter dentes et ungulas dispositas habent, colla brevina, ut essent robustiora. Dentium series non serrata, ut carnivoris, sed continua et æquabilis: quorum pejores acuti ad gramina incidenda, ad virentia prata et virgulta tondenda, posteriores obtusi et alti ad pabulum comminuendum: unguæ firmæ instar calceorum, ut firmius insistant, et ne facile pedes lædi possint in tanto corporis pondere: colli ea longitudo quæ necessaria, ut erecta in pedes pastum capiant. Hinc camelis ob corporis altitudinem collum longissimum, elephantibus proboscis data, qua velut manu omnia facile apprehendit et ori admovet. Piscium quoque genus quam apte ad degendum in aquis formatum? Caput plerisque angustum ad secandam facilius aquam: cauda lata et expansa, qua tamquam gubernaculo motum suum in omnem partem mira celeritate dirigunt: pinnas habent ad ventrem alii binas, alii quaternas vel plures, quibus tamquam remis motum impellunt et sistunt, in dorso quoque pinnas instar membranæ productam, quam intendunt ut proni natant, neve, facile in tergum resupinentur: branchiæ quas utrinque ad fauces habent, serviunt ad emissionem aquæ, tum ejus quam assidue hauriunt ad cordis refrigerationem, tum illius quæ consertim influit, dum æscam capiunt. Unde qui branchiis carent, habent foramina vel fistulas, per quas hanc aquam emittant, ne suffocentur: squamas habent aversas, ne obsint natatui, quæ inter meandrum stringuntur arctius. Plantæ suas radices habent, ut se terræ alligent, et ex ea humorem sugant ad totius et omnium partium alimentum, corticem instar vestis contra frigus et æstum et rerum incurrentium læsiones: ramos ad fructuum multiplicem proventum: frondes et folia ad ornatum, et imprimis ad fructuum tutamen, ne sole vel imbris vastentur: fructus ad seminis custodiam et plerumque torosos et succosos ad hominum et animantium escam: fibras ad sugendum alimentum. Imbecillæ quæ in altum excrescunt; vel se circa aliquid circumvolvunt, ut lupulus, hederæ periploca, etc. vel capreolos habent, quibus velut manibus pedimenta apprehendunt, ne corruant, ut vitis, labrusca, pepones, cucurbitæ, etc. ut late prosequitur Leon. Lessius, tract. de provid. div.

Denique, singulis sua proportionata instru-

menta vel arma data, quibus sibi necessaria parent. Homini manus, quibus vestes et arma sibi conficere, confecta assumere, et pro arbitrio deponere posset: brutis vero, quia ista sibi parare non poterant, neque ex se assumere et deponere, vestes et arma semper adhærentia concessa, quæ etiam cum crescentibus, crescerent, nec opus habeant interpolari et refici. Pro armis data sunt aliis cornua, aliis dentes, aliis ungues, aliis robor in calcibus, aliis spiculum in cauda, aliis vis pernicialis in dente, ungula, saliva, contactu, afflatu: aliis præsidium in fugæ celeritate et astu, vel testæ, qua includuntur, duritie vel echinata cute et spinarum quibus vestiuntur horrore, quas etiam in hostes vibrare norunt aliqua. Loco vestium alia habent pilos, plumas, squamas, crustas, testas ut cancri et cochleæ, cutem glabram, quæ tamen sua duritie et firmitate illis sufficiat.

VI. Sympathia et antipathia, seu naturalis convenientia aliarum rerum cum aliis, itemque discordia et repugnantia inter alias: quarum rerum non tamen sapientibus summæ admirationis et insatiabilis voluptatis est contemplatio, sed etiam omnibus maxima utilitas, dum per eas partim noxia propelli et fugari atque eliminari, partim utilia capi, procurari et conservari possunt. Adversantur sibi naturaliter, lupus et ovis, ita ut fides etiam ovillæ, juxta lupinas tactæ rumpatur: felis et mus. Elefantus fugit murem: leo terretur igne, rotarum strepitu et cantu galli gallinæ: hyænæ umbra canes obmutescunt; serpentem et crocodilum ibidis penna sistit: vipera arundinis percussione obstupescit: vespertilio foliis platani abigitur: aquilæ pennæ alias junctas devorant: Tentyritæ parvæ stature homines crocodilis dominantur, terrentque illos et domant: vitis ramos suos a brassica juxta posita abstrahit: rosæ odore moritur scarabæus: panis esu accipiter. Contra rosæ juxta allium satæ fragrantiores fiunt, palma mas et femina vicinæ fœcundiores. Magnetem inter et septentrionem naturalis amor et aspectus: item magnetem inter et ferrum: discordia vero magneti cum adamante, qui ferrum illi abstrahit et rapere vetat: adamas vicissim hircino sanguine rumpitur, alias infractus: remora sesquipedalis piscis adhærens grandi licet navigio, cursum ejus retardat: et alia sexcenta.

VII. Est optima mundi administratio et moderatio. Primo, quod Deus non minus providerit minimis ac vilissimis quibusque rebus, quam maximis et nobilissimis, et quæcumque vel necessaria vel opportuna erant ad vitam eujusque tuendam finemque consequendum, sapientissime



ac liberalissime comparavit. Habent enim etiam minima animalcula, ut culices, pulices, formicæ, vermiculi, etc. sensus suos et sæpe nostris perfectiores: quanta industria avaneæ et bombycis in texendo? Quanta vis terebrandi in culice? Quanta industria et vis portandi in formica? Quanta politia et ars in apibus? Quanta vis perforandi in teredine et tinea? Secundo, quod singula ad suos fines rectissime dirigantur et sine errore (nisi rarissime) licet ratione et sensibus careant, perinde ac fines suos cognoscerent et intenderent, ut patet in avium industria ad nidus extruendos, se et pullos defendendos, in vita propria tuenda, victu procurando, morbis curandis, tempestatibus prævidendis: patet in cælorum motibus, ventorum varietate, etc. Tertio, quod licet mundus ex contrariis et inter se pugnantibus rebus constet, omnes tamen ita attemperet, ut refractis invicem viribus mutuo inter se fœdere conspirent ad bonum universi tuendum, adeo ut in unoquoque corpore insit calor et frigus, humor et siccitas, absque tamen contentione: sicut in theriaca continetur venenum attemperatum, non modo nihil noxium, sed valde saluiferum. Quarto, quod singulæ bonum publicum privato anteponant: ideo gravia ascendunt, levia descendunt, ne detur in mundo vacuum: ideo quædam animalia vitæ suæ dispendio nobilioribus alimenta præbent; ne illorum species occidant: ideo aqua, quæ secundum naturæ ordinem et amplior et superior quam terra esse debebat, propter utilitatem stirpium et animantium, et minorem habet molem et inferiorem obtinet locum. Quinto, quod omnes res mundi ad hominis utilitatem compositæ sint, aliæ ad vitæ humanæ necessitates et commoditates: aliæ ad varias hominum oblectationes: aliæ sint morborum remedia et sanitatis præsidia: multæ ad exemplum et imitationem propositæ: omnes conducant ad scientiam rerum, et maxime ad Dei notitiam, amorem et cultum. Sexto, quod etiam quæ videntur mala et vero naturæ sunt vitia et defectus, ad ornatum et decorem mundi faciant. Sunt autem duo malorum genera; alia mere naturalia, uti defectus naturales et monstra, ex defectu materiæ provenientia. Et hæc demonstrant, quantum intersit inter res corruptibiles et incorruptibiles, terrenas et cœlestes, quamque sit indeficiens bonitas et inviolabilis ordo atque illibata omni ævo pulchritudo rerum cœlestium. Faciunt etiam ad rerum aliarum suis numeris constantium majorem decorem et apparentiam, et admonent nos ut Deo grati simus, ut qui sine his defectibus nulli sumus. Alia mala sunt humana, et hæc duplicia, mala pœnæ, quæ duplici ratione bona

potius sunt; quia per ea satisfit justitiæ divinæ quia vindicantur hominum scelera: et quia sæpe conducunt ad emendationem hominum velut amaræ quædam medicinæ profligandis vitis confectæ a cœlesti medico. Mala culpæ vere et simpliciter mala sunt, quæ quidem a Deo permittuntur, tanta tamen ejus est bonitas, ut ea quoque ad bonum aliquod ordinet. Aut enim peccata condonat, et id ostendit clementiam et misericordiam suam: aut ea rigide castigat suppliciiis æternis; et rectitudinem ac rigorem justitiæ suæ commonstrat, facitque ut electi ex lapsu surgant humiliores et cautiore, necnon ad bene agendum alacriores. Ita lapsum Adami et simul totius generis humani in maximum convertit bonum, incarnationem videlicet et passionem Filii sui; unde majus bonum prodiit quam si Adam non peccasset. Quam ob causam nequaquam temere exclamavit Sanctus Gregorius et canit Ecclesia in benedictione cerei: *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem!* Denique, ipsa rerum humanarum inæqualitas, dum fere bonis male est, et malis bene, optimam esse mundi gubernationem arguit. Propterea enim sic agit Deus cum hominibus, ne virtutis studium, et odium vitiorum faciat mercenarium. Decet enim ut Deus gratias et propter se colatur, et virtus ob propriam ametur pulchritudinem: vitia fugiantur ob propriam turpitudinem. Deinde, ut intelligant viri prudentes, extincto corpore non extinguuntur animam, sed post hanc vitam superesse aliam, in qua, pro cuiusque meritis, et præmia dispensentur et supplicia.

Quoniam igitur et nos post Deum aliquatenus videmus cuncta quæ fecit Deus, esse valde bona, extollamus vocem cum hodierno populo dicentes: *Bene omnia fecit*: et cum Davide, Ps. CIII. *Quam magnificata sunt opera tua, Domine! Omnia in sapientia fecisti, qui es benedictus in sæcula.*

## CONCIO VII.

QUOMODO OMNIA IN USUM ET BONUM HOMINIS CREATA SINT.

- I. Solis beneficia. Dierum et noctium alternatio utilis. — II. Meteora: 1. Pluviarum commoda. 2. Ventorum. 3. Nivium. 4. Frigoris. 5. Nebulæ. — III. Elementa: 1. Terræ commoda. 2. Aquæ. 3. Aeris. 4. Ignis. — IV. Mixta: 1. Quædam ad necessitates. 2. Alia in remedia. 3. Alia ad oblectationem, oculorum, aurium, narium, gustus, tactus. 4. Quædam in servitium. 5. Alia ad instructionem. — V. Mala ipsa: 1. Pœnæ. 2. Culpæ.

## THEMA.

*Bene omnia fecit; et surdos fecit audire, et mutos loqui.* Marci VII.

Regius propheta David, Psal. XVIII. scribit glo-

riam Dei a cœlis prædicari: *Cœli enarrant gloriam Dei et opera manuum ejus annuntiat firmamentum*: et hoc quidem incessanter: *Dies diei eruciat verbum, et nox nocti indicat scientiam*: rursum omni lingua: *Non sunt loquelæ, quorum non audiantur voces eorum*: denique, omni populo: *In omnem terram exivit sonus eorum, etc.* Id quod non cœli solum, sed etiam reliquiæ faciunt creaturæ. Quid vero nobis prædicent, exponit S. Augustinus, l. X. confess. c. XVIII. *Cœlum et terra, inquit, et omnia quæ in eis sunt ecce undique mihi dicunt, ut te amen: nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles.* Duo igitur a nobis petunt sua prædicatione creaturæ, primo, ut audiamus et intelligamus Deum omnia propter nos et in usum ac bonum nostrum condidisse: secundo, ut propterea Deum laudemus, et glorificemus, eique grati simus; siquidem duo etiam fines sunt creationis mundi; hominum utilitas et Dei gloria. Quæ duo si præstemus, tunc verissimum erit, quod in hodierno evangelio turbæ dicebant: *Bene omnia fecit et surdos fecit audire, et mutos loqui*: si inquam audiamus et agnoscamus, Deum omnia propter nos creasse et Dei laudem, propterea loquamur. Sed heu quam multi sunt mortaliū qui creaturas hoc enarrantes non intelligunt! Ac propterea etiam multi sunt et ingrati Deo. Colligunt fruges et comedunt bona terræ, uti porci glandes, qui nunquam suspiciunt ad arborem, unde eis proveniunt ac decutiuntur. Quibus proinde aures et os aperiendum esse duxi.

I. Quantum boni afferat sol hominibus pulchre expressit David, Psal. XVIII. dicens: *In sole posuit tabernaculum suum*: in Hebr. habetur: *Soli posuit tabernaculum in eis*, id est, cœlis. Primo enim, sol inter planetas medius, quemadmodum ducis tabernaculum in medio exercitu, ut vicinitate nimia terras non exureret, nimia elongatione non destitueret lumine et calore requisito, et ut reliqua astra pariter et sufficienter illuminare posset. Secundo: *Ipsæ tamquam sponsus procedens de thalamo suo*; quia decore et fulgore suo omnem creaturam et hominem imprimis recreat, velut etiam lampas lucidissima sedentes in tenebris solatur. Cui sponso procedenti congaudent, et obviant quasi omnia animalia lucis amantia, præsertim aves cantu suo: ipsum adeo mare quodammodo reverentiam exhibet, dum eo exoriente ponit fluctus et sedatur, ac periclitantibus in mari pacem dat: quod in hymno expressit S. Ambrosius, dicens: *Hoc (sole oriente) navis vires colligit pontique mitescunt freta.* Tertio: *Exultavit ut gigas ad currendam viam*; est enim quasi gigas inter cæteras stellas,

et tantæ magnitudinis, quanta requirebatur ad universum orbem illustrandum et calefaciendum, centies sexagies sexies terra major. Exultat vero ad currendum, quia maxima celeritate et sine omni defatigatione aut errore iter suum conficit et intra viginta quatuor horas totum terrarum orbem illustrat; fere enim quadrantis horæ spatio super horizontem totus se attollit; unde colligitur eum in tam brevi spatio tot milliarum conficere, quod terræ diameter continet non semel, sed centies sexagies sexies numeratus. Conficit vero una hora unum milliare, centum quadraginta millia milliarium. Quæ celeritas necessaria nobis erat, ut sic quotidie omnes lustraret et diem nobis ac noctem exhiberet: dierum autem et noctium alternatio utilissima fit. Primo, ad incolumitatem et conservationem rerum; scilicet diei calore siccitateque, et noctis humore ac frigore salubri temperamento invicem retusis ac mitigatis: unde terras quæ carent hac alternatione, multorum bonorum steriles et multis malis obnoxias esse constat, velut a natura damnatas. Secundo, ad relevandum ipsa varietate fastidium, longior enim vel perpetua dies intolerabilis esset, nox vero instar teterrimi carceris aut sepulcri horrenda foret. Unde Ambrosii hymnus: *Æterne rerum conditor, noctem diemque qui regis, et temporum das tempora, ut alleves fastidium.* Tertio, ad distinguenda tempora laboris et quietis, dies enim invitat ad laborem, nox ad quietem, et somnum conciliat, quo fessum corpus relevetur viresque resumat. Unde S. Chrys. ho. II. super ep. ad Philip. ait, noctem esse homini, quod est fesso viatori diversorium. Quarto, ut essent divisa tempora hominibus cicuribusque animalibus et feris, ad exercendas suas functiones, ne se mutuo impedirent. Nox enim assignata feris, qua prodeant e latibulis: dies homini et cicuribus animalibus, quibus alioqui feræ plurima damna inferrent. Quarto: *A summo cælo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus*; quia mira Dei providentia summum, id est, medium seu altissimum cœli perambulavit, ut vim suam omnibus terræ incolis communicet, medium iter tenens. Dum vero medium cœli secat inter utrumque tropicum, inde fit, ut modo ad nos accedat, modo abscedat, maxima hominum utilitate, sic enim quatuor anni tempora variat ad frugum generationem. Hiems efficit, ut semina et stipres calorem introrsum recipiant, humorem et alimenta colligant, et profundius in terram radices figant: ver suo blando tepore omnia foras evocat, in culmos, caules, gemmas, frondes, flores: æstus